

Handwritten text on the spine of the book, including the words "Typograph" and "Hofbuch".

Small white label with handwritten text on the spine.





INDEX MATERIARUM  
ALPHABETICUS.

	no.
De Accidentalium jure.	9.
Ad rem jure.	17.
Antichretico pacto.	19.
Aestimatorio contractu.	20.
Alterutro.	25.
Adione Confessoria.	27.
Adione Pauliana.	28.
Adioe injuriarum sacerdot.	36.
<b>B.</b>	
Besoldiam supplementum.	1.
Befazung's Recht.	3.
Bibliopolis.	5.
Bibliopogis.	5.
Befolzung's Oerechtig.	10.
Beneficio separatis bonor.	26.
Boscandi jure.	10.
<b>C.</b>	
Chartarijs.	5.
Comendabilis literis.	10.
comitandi libidine.	13.
curiosa Justiniana.	14.
contractu aestimatorio.	20.
cessante scti Macedon.	21.
contractu impossibilitate.	22.
credulitate.	24.

	no.
De Confessoria Adione.	27.
crimine Majestatis.	33.
concupione.	34.
clamore violentie.	35.
civili & canonica denunciacoe.	39.
cogitationis mere moralitate.	41.

	no.
<b>D.</b>	
Discursus der Kriegsvölker.	2.
Damna invita ex ignorantia.	23.
Delationibus.	32.
Denunciacoe	39.
<div style="display: flex; align-items: center;"> <div style="font-size: 2em; margin-right: 5px;">}</div> <div style="margin-right: 5px;">civilis</div> <div style="margin-right: 5px;">}</div> </div> canonica	
<div style="display: flex; align-items: center;"> <div style="font-size: 2em; margin-right: 5px;">}</div> <div style="margin-right: 5px;">Evangelica</div> <div style="margin-right: 5px;">}</div> </div> Discursus Novellarum.	42.

	no.
<b>E.</b>	
Einricht's Recht.	4.
Ende Recht.	7.
Evangelica denunciacoe.	39.
Edictum de Alterutro.	25.
<b>F.</b>	
Fenno Solaris.	11.
Ferijs.	29.



no.		no.
27.	De jure Præsidij.	3.
33.	Intrada.	4.
34.	suburbiorum.	6.
35.	idiomatibus.	8.
39.	lignandi.	10.
41.	novellarum.	12.
	pertinentiarum.	16.
	ad rem.	17.
Lex 2.	<i>occidentaliū</i> iustitia summis circa sua membra.	15.
23.	Justiniana Cuiora.	14.
32.	impossibili in Contractibus.	22.
9.	in vitæ damna ex ignorantia.	23.
2.	iudicij Paganis.	31.
	iniurijs sacerdotum.	36.
4.	intrada jure.	4.
7.	idiomatibus jure.	8.
39.		
25.	De Lignandi jure.	10.
11.	ceteris recommendabilibus.	ead.
29.	libidine convitiandi.	13.
	L. un. C. d. rei lypor. l. d.	25.

no.		no.
	De Macedon. sibi ceptæ.	21.
	Militari transitu.	2.
	Messe.	7.
	Mercede.	18.
	Majestatis crimine.	33.
	Militibus.	40.
	moralitate cogitatorum mere.	41.

	Novellis Neue Zeitung.	12.
--	------------------------	-----

	Omissione.	38.
	Obiectione.	30.

	Pauliana Adioe.	28.
	Paganis iudicij.	31.
	Postliminij jure.	37.
	Præsidij jure.	3.
	Pertinentijs.	16.





	n <sup>o</sup> .
Speidelij supplementū.	1.
de Suburbionū statū.	6.
Solari feudo. Donenlehn.	11.
S <sup>ti</sup> Macedon. ceptate.	21.
Separate bonorū.	26.
sub. & ob-reptione.	30.
Sacerdotū injurijs.	36.

de Typographis.	5.
Transitū Militari.	2.

U. V. Nordhaldedest.	6.
----------------------	----



41.

*BENE VORTAT!*

**MORALITATEM**

**MERÆ COGITATIONIS,**

*PRÆSIDE*

**VALENTINO Westhem /**

**Moralium Prof. Publ. Ordin. & Facul-  
tatis suæ h. t. Decano,**

*publico eruditorum examini sistit*

**JACOBUS Ritter / HALLENSIS SAXO,  
A U T O R.**

*Ad diem Mercurii.*

A. O. R. clb lbc LXXV.

---

**J E N Æ,**  
**LITERIS SAMUELIS KREBSII.**

*Joh. Magnificenz. An. Dresden. D.*



MAGNIFICO. PARI  
VIRO RUM. NOBILISSIMORUM. AMPLISSI-  
MORUM. ATQVE. CONSULTISSIMORUM  
DN. SIEGM. SIEGFR. Reichhelmen

&  
DN. JOHANNI. ANDR. Scheln  
ICTIS. CELEBERRIMIS. HALLENSIS  
REIP. CONSULIBUS. EXCELLENTISSIMIS  
SALINATORIBUS. PRIMARIIS. PATRIÆ  
PATRIBUS. GRAVISSIMIS

QVORUM. CONSILIO. PRUDENTIA. DEXTE-  
RITATE. CURA QVE. INDEFESSA. PUBLICA. RES. SALUS QVE  
CIVIUM. SUSTINETUR. DIGNITAS. INCLUTÆ. URBIS. AC  
SPLENDOR. CONSERVATUR. ELEGANTIORES. LITERÆ  
HARUM QVE. CULTORES. PROMTISSIMA. BENEVOLENTIA  
AC. INÆSTIMABILI. FAVORE. SUSCIPIUNTUR  
FOVENTUR. SUBLEVANTUR

DOMINIS. MEIS. AC MECÆNATIBUS. EXOPTATISSIMIS  
FAUTORIBUS. BENIGNIS. PATRONIS. SUMMIS. PRO-  
MOTORIBUS. MAXUMIS


A. FONTE. SALUTIS. SALUTEM. AC. FELICITATEM. OMNIGE-  
NAM. PROSPEROS. RERUM. SUCCESSUS. CUNCTA QVE  
LÆTA. AC. FAUSTA. TOTO. PECTORE  
PRECOR.

HOC QVE. PRIMUM. ACADEMICUM. SPECIMEN. MOLE. EXI-  
GUUM. SED. RELIGIOSI. AFFECTUS. ET. PLENISSIMI. OBSEQVII  
INDICEM. IN. PIGNUS. OBSERVANTIÆ. DE-  
VOTISSIMA. MENTE. MANU QVE

D. D. D.

JACOBUS. Ritter. HALL. SAX.  
AUTOR





I.



Nullam unquam in hac mortalium infirmitate excogitatam putamus medelam, quæ magis impediatur peccandi pruritusque fortius resistat, quàm crebra & exquisita contemplatio delictorum, quæ quasi mora non interrupta, continuo vitæ tractu omnes ad unum perpetramus, nec ullo ferme temporis articulo negligimus. In ea enim dum altius inquirimus, eorundem naturam & quæ ipsam consequuntur expendentem, non possumus non eadem horrere, id quod antea in illis sub specie jucunditatis sectabamur, detestari, virtutem vero venari atque amplecti. Ut ut vero ita sit, æqualem tamen, si non majorem, efficaciam cognitioni ac dijudicationi nostrarum cogitationum merito adscribimus, quippe quia omnes vitiorum conatus, qui nostris in cordibus quotidie assurgunt, in prima statim herba extingui aut suffocari possunt, quo minus prodeant gravio-remque culpam nobis attrahant. Utinam quilibet modo nostrum id ageret ac sæpius sæpiusque penetralia pectoris introspiceret, & animi sensa intus concepta lustraret, probaret, examinaret, sequæ hoc modo (ut Cræsus ab Apolline monebatur) vere cognosceret, optime profecto tum demum res nostræ se haberent, & quisque, ut nullus dubito, vitiorum maculas solerti cura industriaque elueret, emendaret, aboleret; adgenerata vero naturæ pravitas suis pudenda for-  
dibus obsolesceret: Impudentiam verecundia, incontinentiam modestia, iracundiam lenitas, invidentiam benignitas, violentiam æquitas, impatientiam fortitudo, impietatem religio, omnem animi malignitatem vitæ integritas & rectitudo profligarent: nec rebus nostris sic comparatis temerarius ille cum divinorum tum humanorum taxator ac censor, si forte

OCCA-  
SIO DIS-  
SERTA-  
TIONIS.



ex orco rediret, haberet amplius, cur hominum peccus pel-  
lucidum pravas illius cogitationes experiundi causa optaret!  
Hæc talia nobiscum revolventes, in præsentem incidimus  
tractationem, quæ merarum Cogitationum moralitatem do-  
mesticis, ut vocant, h. e. e morali philosophia petitis ratio-  
nibus demonstrare animus est. FAXIT TER AUHUSTIS-  
SIMUM NUMEN, UT BENE CEDAT!

COGI-  
TATIO  
QVID?

II. Notionem *cogitationis* hic accipimus pro actu vo-  
luntatis nostræ elicitio, quo ipsa objectum ab intellectu cogni-  
tum libere vult: Est autem elicitus actus voluntatis, ut a-  
lias liquet, qui proxime fit a Voluntate, hoc est, facultate  
animæ rationalis omnium rerum appetitiva, & in ea tan-  
quam in sede sua propria. Dicitur elicitus, quia in ipsa vo-  
luntatis potestate contentum & latentem quasi foras edu-  
cimus, sicut ex silice ferro attrita ignita flamma, & corpo-  
rum conflictu sonus elicitur. Huic, ceu quilibet novit, in  
communi contradistinguitur actus imperatus, qui fit a vo-  
luntate ministerio & opera alterius facultatis, quæ eum actum  
proxime gignit. Meram cogitationem nuncupamus eam,  
quæ objectum suum ultimum nondum est assecuta, sed eo ad  
huc destituta in sola voluntate latitat.

MERA  
COGI-  
TATIO  
QVID?

III. De moralitate si exacte, uti meretur, vellemus dis-  
serere, integram profecto peculiarem dissertationem susci-  
pere necessum esset, quare hæc paucula saltem attingamus:  
MORALITAS nobis dicit realem habitudinem sive respectum ad  
jus naturæ: Ea autem habitudo duplex est, altera consistit in  
convenientia cum jure naturæ, altera in disconvenientia cum  
jure naturæ: Illa uno verbo dicitur honestas sive bonitas,  
item rectitudo moralis, hæc turpitudine, malitia sive pravitas  
moralis. Cætera de hac doctrina scitu necessaria hucque  
apprime spectantia, maxime quod juris naturæ fundamen-  
tum sit ipsa natura sui objecti, cum non præcipiat nisi actus  
in sua natura debitos, nec prohibeat nisi actus in sua natura  
illicitos, reperies in *Dissertationibus Domini Præsidis de Consortio  
Delinquentium a §. 2. ad 6. usque inclus. ut & de Quest. Num actus  
dentur per se honesti aut turpes, quique adeo in sua natura sint debiti  
vel illiciti?* item in *synopi Institutionem juris naturæ publice & in-*  
trodu-



*roductione ad Hugonis Grotii immortale opus universum de Jure Belli & Pacis privatim a laudato Præceptore tradita.*

IV. Nobis igitur de moralitate merarum cogitationum disquirere volentibus statim se objiciunt, qui hanc defendunt sententiam, meras cogitationes non esse morales. Adferunt autem pro sententia sua has rationes: quod sic nemo adeo spurcissimis vitiis sit imbutus, quin repente quovis momento, modo cogitationem de virtute conciperet, inculpatae probitatis encomium posset mereri, & quicumque indefessus virtutis sectator ob unicam in mente sibi etiam invito obortam cogitationem bonam sui æstimationem amitteret. Deinde quod bonitas & malitia consistant unice in actu externo sive perfecto, cogitatio autem sit actus interior ac imperfectus, adeoque bonitatis vel malitiæ expers. Addunt, nemini quicquam prodesse, licet vel centies quispiam infinitis erogare velit eleemosynam, nunquam autem ipso actu porrigat, vixque illum minimas grates, certius nullas, pro tanto beneficiorum genere consecuturum fore. Nec malum istud judicandum putant, per quod nemo afficitur injuria, nullius jus violatur, nemo alio modo damnum inde percipit, cum à cogitationibus, quamdiu mere tales maneat, nec publicæ, nec privatæ tranquillitati ullum esse queat periculum. Cogitationis præmium aut pœnam neminem reportare. Passim in scriptis suis *Philosophi & Ceterorum* quoque utuntur testimoniis, ut suæ sententiæ ex alieno fundo speciem veritatis concilient, dum causas domesticas desperant. Ita *Paulus & Ceterus*: *Sola cogitatio furti faciendi non facit furem l. 1. §. 1. D. de furtis.* Et *Ulpianus*: *Cogitationis pœnam nemo patitur l. 18. D. de pœnis.* Item *Jus Saxon. text. Lehnrecht. art. 39. n. 5.* Es geschicht aber am Willen oder an schlechten Worten keine Gewalt/wenn keine That hernach folget. Adducunt auctoritatem *Didaci Covarruvia à Leyva Toletani Episcopi Segobiensis, Philippi II. Hispaniarum Regis summo Præfecti Prætorio, Juris utriusque Interpretis acutissimi, qui Tom. 1. Part. 2. Relect. Clem. si furiosus, de Homicidio, init. de delict. & conat. n. 5. p. m. 577.* expresse scribit: *Primo constat ex his, neminem irregularem constitui, nec decerni ex deliberata valde occidendi hominem voluntate, etiamsi ea ex causa cum telo armatus insidias alteri intenderit:*

Argumen-  
ta eorum,  
qui in du-  
bium vo-  
cant mo-  
ralitatem  
meræ co-  
gitationis.

Arg. 1.

Arg. 2.

Arg. 3.

Arg. 4.

Arg. 5.

Arg. 6.



derit: modo ipsum nec occiderit, nec ei membrum amputaverit. &c. Pariter Hugonis Grotii Viri nomine & omine Magni, qui L. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 20. §. 8. sic differit: Actus mere interni, etiamsi casu aliquo, puta per confessionem subsecutam ad notitiam aliorum perveniant, puniri ab hominibus non possunt. His subiungunt testimonium Catonis, qui in Oratione pro Rhodiensibus referente Gellio Noct. Attic. L. 7. c. 3. p. m. 184. coram Senatu Populoq; Romano dixerit: Et quis tandem est nostrum, qui, quod ad sese attinet, æquum censeat quempiam pœnas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? Nemo opinor: Nam ego, quod ad me attinet, nolim. Item paulo post: Facta sola censenda atq; in iudicium vocanda, sed voluntates nude inanesq; neq; legibus, neq; pœnis sunt obnoxie. Vid. Gellius pluribus loco citato.

**ARGUMENTA** V. Nos tamen à vera sententia, quam semel sumus amplexi, hisce nondum dimovemur. Primum enim ex cogitationes quam maxime rectæ rationi sunt dissentaneæ, quarum objecta sunt turpia, quoniam hæc ipsa eandem fugiunt; ex vero rectæ rationi sunt consentaneæ, quas de honestis operibus externis fovemus, quia hæc etiam naturæ rationali congruunt. Si autem hoc consistit, quod tales animi actus respectu finium, in quos tendunt, aut contrariantur rectæ rationi, aut respondeant, non possunt non boni malive in genere morum esse, cum recta ratio infallibilis ac justissima, regula sit totius moralitatis. Cui accedit vulgare Philosophorum: Cujus finis est malus, id ipsum est malum. Si ergo opera, quæ volumus, mala æstimantur, ridiculum erit, de ipsa volitione malitiam negare. Non dicam quot incommoda contrariæ sententiæ imminere fortassis quispiam putaverit: Sic enim quilibet, qui summa compulsus necessitate, ac prorsus invitus bonum alias opus perageret, præceptis moralibus satisfaceret, laudemq; proinde mereretur: Contra vero, qui ignorantia aut errore ductus in casu quodam deficeret aut præter omnem animi intentionem in delictum aliquod rueret, culpam eo sibi attraheret ac puniendus foret, quibus tamen ipse Philosophus reclamatur L. 3. Ethic. Nicom. cap. 2. text. 2. his verbis. *Ὀικειώτατον γὰρ εἶναι δοκεῖ τῇ ἀρετῇ, καὶ μᾶλλον τὰ ἤδη κρῖνειν τῶν πράξεων.* Nam & Virtuti conjunctissima res est  
pro-



proeresis, & ab illa magis, quam ab ipsis actionibus ingenium & mo-  
 res dijudicari videntur. Et Obertus Giphanius Philosophus præ-  
 stantior dicam, an *7 Ctus in b. l. p. m. 173.* De moribus & qualis  
 quis sit, probus an improbus, non tam spectari debet ex factis, quam  
 ex animo, quo quæq; facta geruntur. Nam alioquin si facta consi-  
 derentur, saepe fieret, ut probus esset improbus & contra. Fit enim  
 sæpenumero, ut Vir probus prave quid faciat, vel casu, vel quo alio  
 impedimento, & contra, ut improbus bene quid faciat. Multa quoq;  
 sunt fortuito, natura, & aliis modis, puta necessitate & vi tam bona  
 quam mala. Ex quibus tamen nemo probus aut improbus jure  
 dici debeat. Quare & Aristoteles L. 2. *Evd. cap. ult.* Itaq; inquit,  
 ex proeresi judicamus, qualis quis sit, hoc est, quo animo & consilio,  
 cujusq; rei causa fecerit, non vero quid fecerit. Conf. *Dn. D. Sam.*  
*Rachel. Tract. de Princ. Act. Moral. Disp. 3. tb. 13. & 14.* Hisce sane Arg. 4<sup>o</sup>  
 planum efficitur omnino has illasve meras cogitationes esse  
 posse morales, quippe quæ tantum valent, ut operationes ex-  
 ternas, in quas influunt, sæpissime mutant, & aliter prorsus  
 judicandas relinquunt, quod fieri certe minime posset, nisi  
 ipsis quoq;, dum intus adhuc latent, vera ac sufficiens boni-  
 tas aut malitia insit. Quamobrem *Filius Seneca de Benefic. V.*  
*14.* recte ait: *Latronem esse, & antequam manus inquinet.* Et  
*Augustinus L. 1. Retractat. cap. 9.* *Voluntas est qua peccatur & re-*  
*cte vivitur.* Item *Chrysostomus super Matth. Voluntas est, quæ aut*  
*remuneratur pro bono aut condemnatur pro malo. Opera autem*  
*testimonia sunt Voluntatis.*

VI. Ut vero melius res intelligatur, consultum censebi-  
 tur distinctius quodammodo progredi, ac præcipua earum  
 operationum genera, quæ cogitationum nomine in commu-  
 ni venire solent, paucissimis exponere. Primum ergo addu-  
 cimur motus istos internos, quos primo primos, item elici-  
 tam præcipitantiæ alias dicunt. Et hi quidem in mente  
 nostra gignuntur, priusquam ulla de illis consultatio aut  
 deliberatio præcedat, omnem rationis usum præveniunt o-  
 mnemq; circumstantiarum cognitionem: Unde repentinæ  
 cogitationes non immerito nominari possent, quia subito,  
 repente, ac inopinato oriuntur. Vix autem digni erunt,  
 qui voluntarii censeantur, quia in neminis libera potestate  
 sunt

inimbs



sunt relictī, aut à quopiam pro suo arbitrio evitari vel impediri queunt, sicuti nemini voluntarium esse scimus, quando cæteris paribus & positis omnibus requisitis visui color, auditui sonus, gustui sapor, tactui superficies, olfactui odor obvenit. Sic si cuidam variis negotiis obstructo nulla antegressa consultatione ac deliberatione repentinus talis motus, qui vix cogitationis nomine efferri meretur v. g. de occisione proximi vel sui ipsius, obrepat ipseque nullam plane cognitam habeat circumstantiam, nec ullo modo præbeat assensum, nec velit diutius istum volvere, sed statim iterum respuat, in rigore dicti voluntarii ratio abest. Hinc satis poterit perspici, quod hujus & similis generis cogitationes omni merito ac demerito κατ' ἐξοχήν tali careant, neque bonæ vel male æstimari debeant. Quare & nostras in præsentī non facimus, nec quicquam temporis aut chartæ illarum ulteriori considerationi impendimus. Quo autem modo quove sensu quadantenus moralitatem participant, expositum vidi Dn. Præsidis ante citata Dissertatione de Consortio delinquentium §. 8. n. 7. Magis vero Collegio Ethico MSS. sect. 1. Art. 1. punct. 1. Consultantur Paulus Laymannus Theol. Moral. L. 1. tract. 3. c. 5. p. m. 36. & Johannes Azorius Loritanus magno Institutionum Moralium opere Tom. 1. L. 4. c. 5. p. m. 254. A. & seqq.

**MORALITAS MOTUUM SECUNDO PRIMORUM.** VII. Primis motibus substituantur secundo primi, quos Moralista dicunt eos, qui plenam quidem rationis deliberationem aut consultationem præcurrunt, tamen non omnem, sed aliqualem utut non perfectum prævium habent rationis usum, eumque sequuntur. Proinde ipsis competit ut possint evitari, impediri atque repelli, nec uti primo primi, sed propiori jure liberi & voluntarii æstimari queant: quare ex iis non paucos honestatis turpitudinisve capaces statuas. In hisce motibus simul comprehendendi poterunt illi, quos prodire sentimus a Phantasia libertatis particeps, quam voluntas sapius ab imaginatione cujusdam objecti retrahit & in aliam cogitationem trahit, quanquam & ipsa non raro reluctante voluntate vel non desistit a cogitatione, vel eandem denuo statim arripit. Eo autem concessō, quod phantasiæ adjudicari debeat libertas per participationem, (ut loquantur) admitti



admitti oportet, ejusdem operationes, circa honestum vel turpe subortas, morales esse, quod ipsum confirmat *Gabriel Vatzquetz Comment. in 1. 2. Thom. Tom. 1. disp. 103. c. 2. p. m. 720.* ubi inquit: *Vera est conclusio, quæ dicit, non solam voluntatem esse subiectum peccati, sed alias etiam facultates, quæ libertatem participant, non asserit, omne peccatum in aliis etiam esse facultatibus, hoc enim falsum esset, eo quod sint peccata, quæ in sola voluntate manent, & in ea consummantur, sed inquit subiectum peccati non esse solam voluntatem, ac si dicat aliqua peccata in aliis etiam facultatibus simul esse.* Ita quoq; illi imaginationum motus, qui in somniis solent concipi, a voluntate libera, quæ in vigilia fuit, nonnunquam mediate procedunt. Dum enim cubitum jam-jam ituri de hoc istove committendo aut perpetrando sapius nobiscum consultamus aut pravum quoddam meditamus, imo talia adhuc revolventes somno corripimur, plerumq; consequitur, ut ea soporati iterum recolamus & somniemus, imo phantasia moti ea sive mala sive bona sint, perficere conemur. Quod, inquam, cum fit, hocq; modo mala, aut prava quædam in somno agitamus, sane non sumus ab omni culpa morali liberi. Liceat ea, quibus *Plutarchus Tom. 1. Moral. Libell. de Virtute & Vitio p. m. 186. n. 15.* somnum vitiosi descripsit, asserere: *Interdium, dicit, vitium foras prospiciens ad alios aliisque se accommodans, pudore afficitur & occultat affectum, neq; omnino impetibus suis concedit, sed repugnat sepe ac renititur. In somnis autem legibus jam & aliorum judiciis non amplius obnoxium, remotumq; longissime a verecundia & metu omnem movet cupiditatem, malitiamq; suam exsuscitat, &c.* Addas si placet *Petrum a Placa a Moraca Ictum Salmanticensem Epit. delict. Causarumq; Criminal. L. 1. cap. 31. n. 3. p. m. 545. it. n. 5. & 6. p. m. 547.* & *Alphonsum a Castro Virum plane eximium de Potestate leg. pœnal. L. 2. cap. 14. p. 582. C. simul Petr. Palud. 4. sentent. dict. 32. q. 1. art. 3.* Quid? quod voluntas intellectum suo consensu, complacencia, inclinatione (dissensu, displicencia, declinatione) trahit, allicit, movet ad assensum (dissensum) id quod tamen non obtinet, nisi in eo assensu (dissensu) qui causas necessarias ac intellectum convincentes vel plane non habet vel saltem non habere videtur.

B

VIII. Se-



**MORALITAS MERÆ COM-PLACENTIÆ, SED PERFECTÆ.** VIII. Sequuntur affectus Voluntatis inefficaces primario tales, qui nullam plane objecti five finis conjunctam habent intentionem, nec desiderium ad opus externum pervenien- di, sed ita saltem ad voluntatem ordinantur, ut illa objecto vel materia, circa quam versatur, five bona five mala sit, lætetur, vel doleat : unde & communiter complacentia ac displicen- tia vocantur. *Moralista* quando de iis tractationem institu- unt, plerunque saltem de complacentiæ affectibus tractant, quoniam quæ de ea dicuntur, cæteris facillime, paucis sal- tem mutatis mutandis, accommodari possunt. Quod vero hæc delectatio bona in genere morum vel mala esse possit, om- nes, quod sciam, saniores *Philosophi* admittunt, hac firmis- sima moti ratione, quam supra de cogitationibus in commu- ni etiam ostendimus, nempe quia est actus internus cum re- cta ratione conveniens, vel disconveniens, aut ad minimum talis esse ex prudentiæ præcepto judicatur. Et ita sane est, ut habet *Aristoteles Lib. 1. Moral. Nicom. cap. 8. text. 21. & 22.* ἔκ ἐστὶν ἀγαθὸς ὁ μὴ χαίρων τῶν καλῶν πράξεσιν, ἔτε γὰρ δίκαιον εἰδὲς ἂν εἶποι τὸν μὴ χαίροντα τῶ δικαιοπραγεῖν, ἔτε ἐλθόντων τὸν μὴ χαίροντα τῶν ἐλθόντων πράξεσιν. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Non est is vir bonus, qui honestis actionibus non delectatur. Neque enim quispiam aut justum dixerit eum, qui non ex juste factis capiat voluptatem, aut liberalem, qui liberalibus actionibus non delectatur. Idemque de ceteris sentiendum. Ex eo enim, quod non justus est, qui ex juste factis non capit voluptatem, nec liberalis, qui liberalibus actionibus non delectatur, juste colligere licet, illum vere esse injustum, qui justitiam odit, & injustitiam habet acceptam; ac illiberalem, cui libe- ralitas displicet, illiberalitas placet: namque utrumque pri- mum morale principium manifesto evertit, dum neque, ho- nestum appetit, neque etiam turpe fugit.

Ratio pri- ma.

Ratio al- tera.

IX. Adde, quod hæc delectatio (ut & quilibet similis affectus) ex pleno ac perfecte libero prodeat arbitrio, sem- perq; deliberatio intellectus, judicium & consilium eam an- tecedat, ut optime delectanti liqueat, num objectum hone- stum aut turpe, an indifferens sit, omnes quoq; circumstan- tias, quæ cum eo sese offerunt, jam habeat cognitatas, adeoq; sibi



fibi soli sciverit relictum, istud complacentia an displicentia velit excipere. Et hoc causæ fuit, cur omnes celebriores *Moralistæ* ejusmodi *delectationem* vocaverint *morosam*, non enim putes istud factum esse ob temporis moram, licet nomen inde sortita sit, sed ideo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen repellit, tenens &volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, prout nomen istud explicat *Doctor Angelicus* 1.2. *quest.* 74. *art.* 6. *p. m.* 162. veluti *Job. Azorius Instit. Moral.* L. 4. *cap.* 5. *p. m.* 256. A. istud declarat, quod ex plena animi deliberatione descendat, & ita *morosa* eadem sit, quæ deliberata *delectatio*. Firmiter ergo concludimus omnem talismodi complacentiam mali cujusdam operis & displicentiam boni malam, & e contrario objecti boni complacentiam & displicentiam mali bonam esse. Obiter hic advertas, aliud esse delectari modo operandi malum vel bonum, aliud delectari ipso bono vel malo: longe enim ab invicem differunt, cum sæpius sub specie boni jucundi modus quidam ad operationem alicujus mali, & alius sub specie mali aut molesti ad productionem operis boni concurrat, quo absq; culpa possumus affici aut commoveri, ut tamen opus ipsum, quod malum cognovimus, displiceat, quod vero bonum, placeat: sicut nonnunquam valde laudamus quendam eleganter, copiose & ornate loqui, simulque damnamus, eundem dicendo contumelias in Deum virosve probos ejicere. Similiter cum voluptate audimus svavem atq; sonoram hujus vel illius cantionem, cantum autem ipsum turpibus dictu & obscænis locutionibus esse refertum, indignamur. Unde non de modo agendi, sed de actu ipso accipiendum est nostrum assertum.

X. Adest *Moralistarum* consensus, ceu testatur ante laudatus *Vatzquetz*, qui cit. *opere disp.* 109. n. 4. c. 3. *p. m.* 744. hæc Ratio ter-  
scribit. *Vera sententia est multas delectationes sine intentione o-* tia.  
*peris esse peccata mortalia, id quod nullus sine manifesto errore nega-*  
*re potest.* Fusius autem hoc dogma demonstrat *seq. disp.* III.  
*c.* 14. n. 13. *p. m.* 651. quo B. L. remittimus. Hunc sequitur itidem  
nominatus *Azorius*, qui in *Instit. Moral.* Tom. 1. L. 1. c. 23. *p. m.* 66. E.  
ait: *Multe delectationes & tristitia sunt laude aut vituperatione*  
dignæ,



digne, & in multis rerum casibus & moribus & ludibus meremur aut peccamus, veluti cum in actione & officio Virtutis & studio bonorum operum delectamur, & ob peccata turpiter admissa contristati dolemus atq; lugemus. Et L. 2. c. 6. p. m. 258. B Delectatio morosa est peccatum, quod in sola Voluntate completur, nihilominus tamen suum habet objectum: Omnis enim delectatio de aliquo objecto & materia capitur, in qua terminatur, licet in actum exteriorem non tendat, sive ad opus non veniat voluntas, quae solum delectatur interius. Quare sicut odium est peccatum, quod consummatur in mente, non quia objecto careat, (hoc enim fieri non potest) sed quia in sola voluntate perficitur citra opus ullum externum. Ita etiam delectatio morosa est peccatum, quod interius in voluntate completur, non quidem sine objecto & materia, sed absque ullo actu exteriore. Sufficit autem, si objectum, quatenus malum est, voluntati placeat, nam hoc ipso peccat Voluntas. Conf. ibid. preced. pag. 256. 257. It. Paul. Laymanus Theol. Moral. L. 1. tr. 3. c. 5. p. m. 37. seqq. ubi simul ingens numerus ejusdem sententiae Patronorum ordine recensetur, quos singulos evolvere in tanta temporis angustia non fuit integrum.

Ratio  
quarta.

XI. Nec Patrum, quibus alias in hisce talibus communiter non parum fidei tribuimus, auctoritate destituimur. Chrysostomus homil. 17. explicatione istius Matthaei 5. Audistis, quia dictum est, non mœchaberis &c. Qui studet elegantes facies inspicere, ipse praecipue sibi istius passionis fornacem accendit, & captivam facit animam, ad opus quoque celeriter abit, propterea non dixit, qui concupiverit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum. Distinguit ergo concupiscentiam ipsam sive voluntatem efficacem adulterii a nuda ac sola aspectione, per quam nihil aliud quam delectationem indigitare potuit, nisi frustra hæc duo distingvere voluisset, id quod nemo forte dixerit. In eundem locum Hilarius quoque Can. 4. dicit: Jam in Evangelio adulterio motus tantum oculi incidentis aequatur, & cum fornicationis opere punitur illecebrosa visus transcurrentis affectio. Ubi similiter per illecebram affectionem delectationem illam concupiscentiae contra distinctam intelligi neminem fugit. Clarius quodammodo mentem explicat Isidorus, dum L. 2. de Summo Bono. c. 39. canon. Non solum 32. q. 7. sic loquitur: Non solum  
de com.



de commissa fornicatione peccatum regnat in homine, sed si adhuc  
delectat, atq; animum tenet. Item Gregorius occasione illius  
Jobi c. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem de virgine.*  
L. 21. Moral. c. 3. postquam pluribus nostram hanc sententiam  
stabiliverat, addit: *Aliud esse quod animus paritur de tentatione  
carnis, aliud vero cum per consensum delectationibus obligatur.* Et  
paulo post: *Et mirum, ait, mentem nequaquam cogitatio immun-  
da inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat.*  
Eadem fere verba reperiuntur apud Bernard. *Libr. de interior.  
homine. c. 40.* Verum hæc omnia perspicuitate longe exsu-  
perat id, quod Augustinus L. 12. de Trinit. c. 12. in subsidium ve-  
ritatis nobis reliquit. *Nec sane cum sola cogitatione mens oble-  
tatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et  
volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt,  
negandum est esse peccatum, et ideo de talibus quoque cogitationi-  
bus venia petenda est, peccusque percutiendum atque dicendum,  
dimitte nobis debita nostra.* Quo referenda veniunt, quæ pau-  
cis interjectis l. c. sequuntur: *Hæc quippe una persona est, unus  
homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operan-  
di, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius co-  
gitationis sentiuntur esse peccata.*

XII. His positis quicquam amplius superaddere ingra- Ratio  
tum magis, quam utile ac necessarium foret, siquidem O- quinta  
mnes huic nostræ sententiæ reapse subscribere videntur,  
quotquot omnem in modum detestantur eos, qui malo pro-  
ximi aut infortunio exhilarati júbila læta canunt, quibusve  
placet, quod alii bonis exuti, membris vulnerati, injuria  
laceffiti, periculis expositi vel quovis modo læsi fuerint, aut  
qui acceptum gratumque essent habituri, si alteri talis cala-  
mitas imposterum obtingeret; hos, inquam, omnes virtu-  
tum Amasii sempiterno prosequuntur odio, nullam aliam  
ob causam, quam quod rationi hominis adversari judicant  
alieno dolore, quæ dolor est, pasci, & neminem qua homo,  
sed qua animal est, ex alterius adversa fortuna capere sola-  
tium posse. Indeque magni faciunt, quod Lessius de Justit.  
& Jur. Lib. 4. c. 3. dubit. 15. p. m. 699. tradit: *Qui ex imaginatione  
occisionis alterius vel crudelis tractationis ita delectatur et interius*



afficitur, sicut affici solet is, qui inimicum re ipsa in potestate habet, & male tractat, peccat mortifere contra charitatem, quia placet illi malum alterius. Imo malitiosæ hujus complacentiæ indignatione exacerbati minus caute non raro procedunt, & quemvis, qui modo malum aliquod ridere conspicitur, indifferenter ἐπιχαρῆσανίᾱς accusant, cum tamen probe dispiciendum putem, an is, qui fatum alteri evenisse percipit aut evenire videt, idque risu excipit, delectetur eo ipso quatenus alteri malum est, an vero, quatenus circumstantia aut modus quidam jucundus risumque excitans illud concomitatur. Nam si e. gr. Titius inexaudita astutia cujusdam nebulonis callide jam circumventus ingentique aureorum summa defraudatus esset, ipseque hoc infortunium mœstissimo animo cum omnibus ac singulis non parum ridendis mediis, quibus ille furcifer saculariorum more sibi imposuerit, denunciaret Sempronio, iste vero callida arte furandi atque ingenii promptitudine commotus delectationem conciperet ac testaretur, forte dubitaveris an Sempronius ἐπιχαρῆσανίᾱς vitii aut illicitæ morosæ delectationis argui possit, cum nihilo minus ipsi displiceat scelus, quam placere videbatur cautio in exequendo adhibita.

MORA-  
LITAS  
COGI-  
TATIO-  
NUM  
DE IM-  
POSSI-  
BILI.

XIII. Hæc, quæ diximus, intelligenda veniunt non modo de complacentia super his, quæ facta scimus, fiunt, aut futura sunt, sed etiam illis, quæ nunquam fuere, nec sunt, nec erunt, imo prorsus in nullius hominis potestate sunt, si nempe iis delectemur, ac si præsentia aut possibilia essent, cum apud omnes sit in confesso voluntatem etiam impossibilium dari. Hinc si quis cum voluptate cogitaret, cervices omnium omnino hominum, quotquot hic orbis sustinet, ex truculento Neronis voto in unam coaluisse & jamjam uno ictu abscindi, non certe a morali malitia immunis esset pronunciandus: Aut si quis cogitationibus de re aliqua turpi suas tamen vires excedente sciens & volens titillaretur, procul dubio contra fas, leges & jura moralia delinqueret. Vid. Azorius opere cit. Tom. 1. L. 1. c. 20. p. m. 53. E. & Hereboord Exercitat. Ethic. 12. th. 1. p. m. 50.

XIV. Su-



XIV. Supremam classem obtinent *affectus voluntatis effi-* MOR A-  
*aces*, quos primario in facie dissertationis respiciebamus, ad LITAS  
hos ergo relictis inefficacibus accessus erit parandus. In an- COGI-  
tecessum autem notandum, cogitationes efficaces sive vo- TATIO-  
luntatem efficacem diversimode solere accipi: Nunc enim NUM  
hæc sumitur in sensu strictiori, nunc laxiori: Priori modo EFFICA-  
sumta voluntas sive cogitatio efficax denotat illam, quæ ipsi CIUM.  
operis perfecti actui ultimo atque omnimodæ consummatio- Cogitatio-  
ni est conjuncta: ut quando Sejus Cassium cum voluntate & nū effica-  
proæresi jam ipso actu ac revera mittit ad inferos, sive furagi cium varia  
manu bona ipsius abripit secumque aufert, aut etiam uxo- discrimina-  
rem ejus scelesto violat stupro &c. quæ voluntas καὶ ἐξοχήν hic tra-  
efficacis nomen sustinet, a nobis vero intacta hac vice præ- duntur.  
termittitur. Posteriori autem modo adhibita eam indigi-  
tat, quæ quidem opere pleno nondum est consummata, ad  
actus tamen externos intermedios, quibus ad ultimum per-  
veniretur, processit, ut quando Sejus egreditur domo, ense  
armisve se induit, insidias struit, aut ipsum gladium stringit  
ad occidendum Cassium; aut quando adfert funes & scalas,  
ædibus applicat, fenestras effringit, cistas ac scrinia aperit,  
ut inde extrahat pecunias; item quando in via expectat u-  
xorem non suam, obvientem aggreditur, progredientem  
comitatur & in deviam solitudinem abducit, ut ibi eandem  
opprimeret, vitiaret suamque; expleret libidinem. Quorum actu-  
um, ut oppido patet, alii ipsis delictis perfectis, ut homici-  
dio, furto, adulterio &c. sunt propiores, ut parum inter  
hæc & illos interveniat; alii vero ab iisdem remotiores, ut  
plures committi prius oporteat, quam ipsum peragatur fa-  
cinus. Quo ergo magis voluntas sive cogitatio ad actus  
ultimo propiores procedit, eo magis dicitur efficax, sicut  
potentia quo minus ab actu est remota, eo quoque magis  
potentiæ veræ ac per excellentiam talis nomen acquirit. Plu-  
rimum etiam efficacia voluntatis augetur, quando ita tendit  
in objectum, ut solum ab extrinseco principio impeditus ef-  
fectus non sequatur, sive quando ideo non operatur id, quod  
propofuit, quia non conceditur occasio agendi, nam hac  
ratione opus exterius nihil prorsus bonitatis aut malitiæ  
mora-



moralis proposito & voluntati interiori addit, ut monet *Vatzquetz Comment. sep. cit. disp. 76. c. 1. p. m. 511.* Communi nomine cogitatio efficax a *Philosophis moralibus προαίρεσις* vocatur, quæ promiscue alias *Philosophis* dicitur *intentio, consilium, consilium agendi, iudicium*, quamvis hæ notiones, si accurate loquaris, aliquantum ab illa differant; nihilominus tamen in præsentī indiscriminatim usurpantur. Præterea *Tacito, Svetonio, Ciceroni, Ἰστίς προαίρεσις Conatus, Institutum, Propositum, Animi propositio, Animi destinatio* dici consuevit. Vid. hanc in rem *Dn. D. Samuelis Rachelii plane eximius liber de Principiis Action. Moral. Disp. 3. th. 11.* Ideoque & nos non verebimur iis singulis, prout occasio dabitur, sine discrimine uti, cum videatur de omnibus dici posse, quod sint ἢ ὀρεκτικὸς ὄρεξις, ἢ ὀρεξις διανοητικὴ, vel intellectus appetens, vel appetitus intelligens, uti *Aristoteles loquitur VI. Moral. Nicom. c. 2. §. 18.* vel juxta alios, interna ἐνέργεια externis actionibus pro libertatis gradu moralitatem concilians, præmii pænæque meritum consequens hinc habentibus.

Rat. 1.

XV. Quid vero, postquam evicimus moralitatem merarum cogitationum inefficacium, nobis facilius est, quam merarum cogitationum efficacium evincere, nixis argumentatione a minus probabili ad magis probabile. Eo respexit *Vatzquetz opere plus simplici vice laudato Tom. 1. disp. 109. c. 1. p. m. 733.* scribens, controversiam esse de delectatione simplici sine intentione illud opere exequendi, quod delectat, an sit peccatum, de efficaci voluntate autem omnes fateri &c. Huc spectant: Non perficere, sed conari velle aliquid ad scelus effectio est, etsi non potest fieri, ait *Donatus ad Andr. 1. sc. 4.* Et *Quintilianus Pater: Nunquam mens exitu estimanda est.* Item *Tertullianus de Pœnitentia: Voluntas ne tunc quidem liberatur, cum difficultas perpetrationem ejus intercipit. Theodoretus. Non quantitatem, sed mentis qualitatem respicit Deus, h. e. non operum quantitatem.* Et *Augustinus L. 1. de Libero Arbitrio c. 3.*

Rat. 2.

*Si cui etiam non contingat facultas concubandi cum conjugē aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehendatur.* Similiter *Gregorius hom. 5. in Evang. dicit. Nemo dicat, imitari volo contemtores hujus mundi, sed quod relinquam non habeo, exteriora enim nostra DEO quantumlibet parva sufficiunt, cor namq;*

non



non substantiam pensat. Inde Bernard. Ep. 78. inquit: *Quid planius, quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas.* Insuper hæc sententia ipsum *Mellitissimum Salvatorem*, fontem æternæ veritatis, auctorem ac assertorem agnoscit. Testatur namque Christus *Marc. 12. v. 42.* tantum præstitisse viduam illam inopem obulum prona atque libera pro æresi in gazophylacium collocando, quantum magnificentia sua dives. Quod vere Divinum iudicium *Hugo S. Victor. de sacr. L. 2. p. 14. c. 6.* illustrat hunc in modum. *Multum dedit Zachæus, qui dives erat & multum habebat: Vidua illa, quæ duo minuta misit, parum habuit: tamen tantum dedit, quantum Zachæus, minores facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat: si attendas quæ dederunt, diversa invenies, si attendas unde dederunt, paria invenies.* Hinc ipse concludit: Non est inæquale meritum, si æqua sit voluntas.

XVI. Hic notasse non parum juvabit dupliciter consensum accipi vel ut est impressus & proprie talis, ipsamque dicit intentionem sive actum voluntatis, quo quis ut hoc fiat vult; vel ut est expressus & improprie talis, notatque signum externum, quo alterius consensus alteri indicatur. Vid pluribus *Dominus Præses Coll. Metaph. MSS. sect. 1. Art. 2. punct. 1. §. 22.* Utroque modo consentiens in honestum vel turpe dici meretur morale agens: priori quidem, dum intra cordis secreta reservat consensum: Posteriori vero, dum idoneis signis animi sui sensa prodit. Ut igitur de alterius voluntate liqueat, opus est signis alienæ voluntatis. De aliena enim voluntate nemini constare potest, nisi idoneo signo indicata fuerit. Sunt autem ea signa notante *Hugone Grotio. L. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 4. §. 3. & seqq. & Dno. Præsidi introductione sua ad hoc caput, alia verba, alia facta: (alia verbalia, alia realia ut in Scholis distinguitur, utraque iterum sunt vel positiva, vel negativa.)* Illa, quando quis aut loquitur ipse sive per alium, aut scribit, aut tacet, cum debuisset loqui, ut: quando caupo nequam fatetur incendiariis sub tecto suo latentibus in combustionem, ædium se consentire, aut tale clandestinum eorum propositum dum potuerat ac debuerat non defert ad Magistratum, aut ad eos, quibus incendium illi minitantur ac parant. Ita

Cogitatio  
impressa  
quid?

Cogitatio  
expressa  
quid?

C

ex





ex paucissimis verbis Carolo, S. Ludovici Regis Galliaë Fratri a Clemente IV. Pontifice Romano (a quo nimium audaci ac iniquo facto Rex utriusque Siciliae creatus fuerat, iusto hærede Conradino, ut eundem Itali vocant, Conradi IV. Regis Siciliae Filio ac Friderici II. Cæsaris Nepote adhuc superstite) cum eum consulisset, responsi loco datis: VITA CONRADINI MORS CAROLI; MORS CONRADINI VITA CAROLI, quisque cum Carolo facile potuit colligere Sanctissimi scilicet! Patris, inclementis Clementis, clementissimum, si Diis placet, animum. Hæc, quando quis actu commissionis vel omissionis quid intus foveat testatur, ut quando Tarquinius filio sexto Tarquinio nunciaturus, ut excellentissimum quemque Gabinorum aut exilio summo veret, aut morte consumeret, seducto nuncio, cuius fidei parum credebatur, in hortum, maxima & altissima papaverum capita baculo decussit. *Liv. Hist. Rom. Dec. 1. L. 1.* vel quando Metius Sufetius Dux Albanorum dubiam & suspectam semper societatis suæ fidem in ipsa acie Romanis Fidenas aggressis detexit eo, quod derelictis in conflictu eorum copiis prælio excessit ac in colle proximo confedit, id quidem intentans ut aut victis insultaret, aut Victores fessos aggrederetur. *Ibid.*

An & quomodo scire possimus aliorum cogitationes?

XVII. Et verum quidem, quod ex his aliisve signis nunquam prorsus infallibiliter cogitationes alienas colligere liceat, & semper dubium quodammodo remaneat, an ita ejus, quem hoc istudve intendisse ex signis colligimus, fuerit animus, sicut pluribus deducit & una legibus civilibus confirmat *Fernandus Vasquius f. Ctus Hispanus Controv. Illustr. L. 2. c. 52. de præscr. equit. & jur. p. m. 209. n. 4.* Nam, ait, & qui expressis verbis se rem suam mihi concedere ait forte diversum animum habuit arg. l. divus D. de milit. test. §. plane. *Instit. eod. tit. l. an inutilis D. de acceptilat. l. non solum D. de act. & oblig. l. non figura eod. tit. l. hæredes mei §. cum ita D. ad Trebell.* Voluntas enim hominis soli DEO certa esse potest, & præterea nemini. Nam & ipsa verba indicia tantum, non etiam certitudo sunt nostræ voluntatis l. Labeo. D. de supell. Leg. id quod eleganter Cicero desinivit in oratione pro Cecinna, verba, inquit, reperta sunt quæ indicarent, non quæ impedirent nostram voluntatē, propter



pter verbum indicarent, unde nec etiam scriptum intelligitur nostram  
voluntatem certo declarare, sed tantum indicare, vero similiter d. l.  
non figura. Unde eleganter idem Cicero, ubi supra ait: scriptum  
sequi calumniatoris est, boni vero Judicis voluntatem scriptoris de-  
fendere. Idem refert L. 1. Contr. Illustr. c. 43. n. 4. p. 171. Libro  
autem 2. c. 81. de mala fide n. 3. p. 299. scribit. *Quid dicendum?*  
& quidem bona aut mala fides possidentis cum ex animo pendeat,  
certo probari non potest, sed tantum per conjecturas l. pæn. C. de  
evict. ibi aliis itaque hoc indicis. Hujus enim rei solus Deus Opti-  
mus Maximus conscius esse potest: nam & quod proprio ore confite-  
mur, ejus contrarium sentire possumus l. an inutilis D. de acceptilat.  
l. obligationum substantia D. de act. & obligat. l. non solum eod.  
tit. Hæc ex Vasquio retulisse liceat. Idem Vir sui nominis Gro-  
tius L. 2. c. 4. §. 3. supra cit. tradit his verbis: signa nullam de  
animi actibus certitudinem habent mathematicam, sed probabilem  
tantum: nam & verbis eloqui aliud possunt homines, quam quod  
volunt & sentiunt, & factis simulare. Nihilominus sufficit mo-  
ralis certitudo, ut de quolibet, prout mentem signis declarat,  
juste judicare queamus. Neque enim patitur natura humane  
societatis, ut actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia, ideo  
quod sufficienter indicatum est, pro vero habetur adversus eum, qui  
indicavit. Grotius ibidem. Itaque necessarium est, ut ex signis  
maxime probabilibus colligatur alterius cogitatio aut con-  
sensus, necessitate sumta non secundum physicam subtilitatem, sed  
moraliter L. 3. c. 1. §. 2. In moralibus quippe punctum certitudi-  
nis sæpe invenitur cum aliqua latitudine L. 2. c. 1. §. 5. & sicuti  
multa quæ physice ac mathematice finita sunt, quasi infinita  
sunt moraliter L. 2. c. 1. §. 10. c. 4. §. 7. c. 8. §. 10. ita multa certi-  
tudinem habent moralem, licet physica aut metaphysica de-  
stituantur certitudine, nam in moralibus certitudo nunc con-  
sistit in puncto, nunc habet liberius spatium. Dn. Præses pluri-  
bus cit. loc. Paucis: Quia morales cogitationes per se specta-  
biles non sunt & certi aliquid statuendum est, ut ratio sit expe-  
diendi negotia, ad quæ Societates institutæ sunt & ne quisq;  
verbis, factis, quovis modo alteri imponere cogitationesve,  
quas vellet, sibi affingendo, se liberare posset, ipsa dictante na-  
turali ratione jus est alteri alterum, qui signis usus est, sive



utendi sive abutendi animo id factum sit, cogere ad id, quod recta interpretatio suggerit. Sibi imputet, quod istis abusus fuisset. Ita si debiti gratiam Titius Sempronio noluisse facere, cur ei chirographum reddidisset? Si noluisse filium tuum militem fieri, cur quum te presente nomen dederat militiæ, ipse non contradixisti? nam alioqui res exitum non reperirent, quod in moralibus pro impossibili habetur. Hac lege communi homines inter se perpetuo utuntur. Huc *ſtorum* disquisitiones spectant de *presumptionibus*, de quibus inter alios *Alciatus* & *Menochius* ex professo egerunt. Imo argumentum hoc pro dignitate exequi ejus Philosophiæ esset, quæ *Hermenevtices* venit nomine, cujus neglectus disciplinarum practicarum cultoribus plura incommoda præstat, quam minatur.

Solvuntur  
argumenta  
contramo-  
ralitatem  
meræ co-  
gitationis  
allata.

Resp. ad  
arg. 1.

XVIII. His ita ad umbilicum deductis videndum erit, quid ad ea, quibus §. 4. moralitas merarum cogitationum in dubium vocabatur, dicendum superfit. Videt namque facile, qui modo ab opinionibus præconceptis partiumque studio liber fuerit, in fronte aciei posita esse talia, quæ non nisi de istis motibus internis sive cogitationibus *ὁμωνύμως* fere talibus, quas §. 6. expendimus, intelligi queant. Et quidem lubentissime largimur, neminem vitiosum eo in bonorum classem esse transcribendū, quod fortuito aliqua virtus ei placeat patiaturque hunc motum tam subito perire, quam subito oriebatur; nec probro est Viro bono, si ex improvise vitium affecerit, ut tamen subito eam scintillam extinguat: Interim stat moralitas talismodi actuum, licet ab iis nemo moralis agentis denominationem sortiatur. Et licet tales cogitationes si prævæ sint, puniri ab hominibus juste nequeant: nam si puniendus esset, cuicumque tales cogitationes subortæ fuissent, pœna neminem exciperet, ut eleganter differit *Seneca de Ira L. 2. c. 31. Nemo quippe inveniretur, qui se posset absolvere eod. L. c. 14. quis enim iste est, qui se profitetur omnibus legibus innocentem c. 27. & de Clementia l. 8. etiam si quis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit. Idem testatur Procopius Gothicorum 3. in Orat. Belisar. nihil plane delinquere neque hominis est, ne-*



est, neque id rerum fert natura. Vid. Hug. Grotius, qui ad plura inter Philosophos Sopatri, Hieroclis: inter Judæos Philonis, inter Historicos Thucydidis, Diodori Siculi, Plutarchi, testimonia provocat. μή δὲ συνοφαστεῖν ἀνθρώπων φύσεως τὴν ἀδύνατον. Non oportet per calumniam traducere infirmitatem humanæ naturæ. Nec plane displicet, quod Grotius scribit dubitari posse, an tales prava cogitationes recte & proprie peccata dicantur, cum libertatem, quam in specie habere videntur, in sua generalitate considerata non habeant. Et sane Aristoteles idem sentit quod Grotius, quando 2. Moral. Nicom. c. 6. ubi de natura virtutis moralis & vitii agit, inter alia ostendit, quod vitium & virtus non sint motus inordinati, & quidem ex ea ratione, quia ab iis neque laudamur, neque vituperamur. Similiter hac de re agit 5. L. c. 3. imo communi loquendi usu peccata dicuntur, quæ sunt ἐφ' ἡμῶν, in nostra potestate, ita ut in nostro sit arbitrio ea perpetrare & ab iis abstinere. Talismodi autem cogitationes morales, quas vix & ne vix quidem laudabiles aut culpabiles recte dicimus, vix & ne vix quidem nobis sunt voluntariæ aut in nostra potestate, & quasi invitæ voluntati natales debent. Hac de re a Dn. Praside in prælectionibus publicis ad Dn. Thomasi tabulas peculiari questione de peccato Originis, numquid de eo ex lumine naturæ gentilibus Philosophis constare potuerit? prolixè dictum est. Cæterum si ad motus morales secundo primos, varias delectationes morosas idque genus alias cogitationes inefficaces oculum intendamus, profecto litem de terminis movent, qui ab iis neminem bonum vel malum denominari posse mordicus defendere satagunt: nam licet habitualiter (ut loquuntur) nequeat bonus vel malus aestimari, actualiter (si ita cum aliis loqui liceat) tamen malus est. Et quis nescit ex eo, quod qualitas aliquem non denominat, non licere statim colligere absentiam illius qualitatis. Quid? quod unius speciei virtus cum alius speciei vitio, adeoque multo facilius hoc vel illo actu habitum antecedente conjungipossit?

XIX. Deinde illud verum quidem est, quod perfecta bonitas vel malitia ex actu externo, sive perfecto, ad quem cogitatio





gitatio processit, dijudicari debeat, nec ullam dubitationem  
habet, quod actus externus, ut cogitationi respondet, magis  
malus aut bonus, si quidem bonus aut malus est, dici merea-  
tur, quam mera cogitatio, quatenus in illum externum a-  
ctum non influxit, ut cum *Sayro Grotius* loquitur: Sed inde  
nihil minus sequitur, quam quod cogitationes, quarum mora-  
litate ostendimus, bonitate vel malitia morali careant. Con-  
trarium potius inde liquet optimoque jure inverti argumen-  
tum potest, ut mox patebit. Etenim cogitationes, quibus  
voluntas fertur in externum actum, bonum opus vel scelus,  
sunt intrinsece & ex sua natura bonæ vel malæ in genere mo-  
rum, quatenus per eas voluntas bonum opus aut scelus in-  
tendit ob rationes a nobis datas §. 5. attamen æstimari boni-  
tas & malitia cogitationum nequit, nisi rationem æstimatio-  
nis ac denominationis sumamus ab externo actu, idque vo-  
lunt *Moralistæ*, qui toties inculcant, quod primo & intrinsece  
actus externus dici bonus vel malus in genere morum debe-  
at, internus secundo & extrinsece, quia ex actu exteriori  
in interiorem bonitas vel malitia emanet. Sic enim scribit  
*Vatzquetz comment. in 1. 2. Thomæ tom. 1. quest. 20. art. 4. Disp. 76.*  
*.11. c. 3. p. 514. Etiam si actio exterior sit primarie mala, malitia*  
*ea est ex objecto & circumstantiis, ut Disp. 73. c. 5. ostensum est, ni-*  
*hil addit malitiæ actioni interiori, si ei jungatur. Quoniam ex*  
*, quod actio sit primarie aut secundarie mala, non debet judicari*  
*minus aut magis mala, siquidem eadem omnino malitia, quæ est in a-*  
*ctione exteriori, atque in eadem intensione, primarie in eodem gra-*  
*, secundarie derivatur in actionem interiorem, ac proinde tam ma-*  
*judicatur actio interior sine exteriori quam simul cum illa. Hæc*  
*Vatzquetz.* Sed hic habent fortassis, quod excipiant secus cen-  
sentes hoc ipso potius sententiam nostram majoribus difficul-  
tatibus intrinsecari quam extrinsecari. Nam si externus actus est  
primario bonus vel malus & propter illum est bonus vel ma-  
lus interior, si quoque rationem æstimationis ac denominationis,  
quoties internus actus moraliter æstimandus ac denominan-  
dus est, petere tenetur quisque ab externo actu, sequitur ex-  
ternum solum esse ex sua natura ac proprie bonum vel ma-  
lum, internum vero esse bonum vel malum, in quantum di-  
cit

ceptio.



cit externum, aut ad minimum comparatione externi neutiquam bonum aut malum dici posse, cum propter quod unum quodque tale, illud magis & absolute tale sit. Sed ad id respondemus ex Vatzqvesio : Etsi cogitatio bona aut mala est Solutio propter actum externum, & ideo quodammodo hic magis bonus aut malus quam ista, hic tamen particula magis non denotat intensificationis aut magnitudinis augmentum, sed primariam denominationis rationem : jam autem quando malitia & bonitas respectum infert in genere morum ad meritum vel pœnam, non attenditur, an denominatio malitiæ vel bonitatis alicui actui magis conveniat, sed an malitia vel bonitas intensior eidem insit. Tantum ergo abest, ut actio interior voluntatis aut prorsus non mala, aut tamen minus mala sit quam exterior, vel contra, ut potius tota bonitas vel malitia actus exterioris pendeat a voluntate, testante ipso *Thoma 1.2. quæst. 20. art. 1. Non potest enim esse, dicit ille, ut voluntas interior sit bona, & actus exterior sit malus aut e converso: & ideo si peccatum non est in voluntate, non etiam erit peccatum in exteriori actu.* Unde *Michael Attaliotta synt. II. tit. 72. refert Judæos titulo de Synedrio c. 9. constituisse: Si quis intendat occidere bestiam, & occidat hominem, si intendat occidere gentilem, & occidat Israelitam, si Apostatam, & occidat filium fœderis, liberum esse: Si intendat plagam inferre lumbis alterius, & quidem talem, quæ non valuisset eum ista parte corporis occidere, & plaga illa aberrans impacta fuerit cordi sive pectore, fueritque talis, ut potuerit eum occidere illa parte corporis, & moriatur, liberum esse: Si intendat infligere ejusmodi plagam adulto, quæ non valeret occidere adultum, & illa per errorem infligatur parvulo, fueritque talis, ut potuerit eum neci dare, & moriatur, liberum esse. At qui intendat plagam inferre lumbis alicujus, quæ possit esse isthic loci lethalis, & aberrans excipiatur pectore, & mors subsequatur, reum esse: Iterum si quis percutere intendat adultum plaga ejusmodi, quæ ipsum letho dare potuisset, & per errorem ledatur parvulus, & mortē oppetatur, reum esse & c. Judæos, ut apud eundem Attaliam legitur, Græci & Romani secuti fuerunt. His autem stantibus, ratio, quæ nos tenet, est hæc: Si nullum opus externum morale esse potest, nisi procedat a libero agentis arbitrio seu libera cogitatione, cogitatio vero moralis*





ralis esse potest, licet opus externum reapse non sequatur, sequitur, quod intrinsece ac suapte natura hæc illave cogitatio moralis esse possit. Prius extra omne periculum dubitationis ponitur, quia nemo ex *Philosophis* est, qui non proæresin agnoscit pro norma quadam ac lydio lapide, ad quem omnis moralitas simulque quilibet moralitatis gradus a *περσείστωρ* linea declinantes examinari ac æstimari possint ac debeant. *Decipitur*, ut canit Poëta:

*Quisquis ab eventu facta notanda putet.*

*In maleficiis voluntas spectatur non exitus l. Divus Hadrianus D. ad L. Corn. de Sicariis.*

Alia exceptio.

XX. Et licet nostræ sententiæ adhuc adversari videantur illa, quæ vulgo habent, ac si cogitatio externi operis e. g. adulterii, homicidii &c. non faciat adulterum, homicidam &c. nisi adulterium aut homicidium secutum fuerit, ut ita nemo queat puniri ob adulterium, homicidium, nisi adulter, homicida, qualis est is solus, qui adulterium, homicidium commisit: Hoc tamen dubium tum demum nos premeret, si admissemus, quod quilibet, qui ob cogitationem adulterii, homicidii &c. juste punitur, ob homicidium aut adulterium juste puniatur. *Ob quod* enim hoc loco est meritum. Sed hoc nunquam nobis venit in mentem. De eo quippe parum solliciti sumus, quo tandem nomine cogitatio sceleris, quod ad ultimum actum non processit, censi possit, modo teneamus ob sceleris non secuti cogitationem juste quempiam puniri posse. Ita E. g. si quis à latrone invaderetur & quia putaret unicam vitæ suæ spem in homicidio positam, apud se animumque constitueret homicidium præ morte propria eligendum esse, fatemur id magnam dubitationem post se trahere, an ille viator ob homicidium puniri possit? Quod vero habuerit animum committendi homicidium, minus implicita assertio est: Omnino enim accedimus illorum sententiæ, qui id affirmant, quia absolute, voluit homicidium committere, spectata scilicet temporis ac loci circumstantia. Pariter quando molitor callido viduæ peregrinantis inque domo ejus pernoctantis consilio rem habuit cum uxore sua, quam vidua singulari vaframento suis vesti-



vestibus indutam subornaverat, ut verissime id contigisse scribit Harsdörffer in *Schauplatz Lust und Lehrreicher Geschichte Cent. 2. Hist. 79. p. 298.* illud *Martialis Britannici* quaesitum:

*Cum propria imprudens conjux uxore coivit,  
quam falso alterius credidit esse viri.*

*Hoc genitum coitu Consulti Juris & equi  
legitime natum dicitis ane nothum?*

sive decidatur, sive minime, nostro scopo parum vel nihil intervitt. Res in vado est, modo nobis relinquatur, quod in datis casibus viator ille ob pravam homicidii intentionem, quam occisione latronis testatus est, molitor vero ob pravum simplicis adulterii conatum, quem concubitu cum uxore sua testatum fecit, puniri possit: poena enim manet mentem, licet corpus sit purum à scelere. Qualis enim sequela: Cogitatio adulterii non puniri potest ob adulterium, si ad ultimadulterii actum non processit, ergo nullo modo puniri potest. *Vid. pluribus Dn. Praeses Nucl. Jurispr. Moral. tit. de moderamine inculpatae tutela casu morali sexto.*

XXI. Ita vidimus, & quod moralitas cogitationis ab actu externo & quod actus externi moralitas a cogitatione pendeat: Idem sentit *Cajetanus ad 1. 2. Thom. qu. 20. art. 1. p. 49. H.* utiturque hac declaratione: *Sanum prius competit animali quam medicina, & tamen sanitas animalis dependet a medicina.* Vidimus quoque, quod cogitatio operis moralis esse possit sine opere, opus vero morale esse nequeat sine cogitatione. Quis enim istum filium, qui ex antecedente ignorantia non solum cum matre, quæ ancillæ vices eo in loco, ubi a filio expectabatur pravæ libidinis causa, suppleverat, sed & cum filia sua ab eodem inscio ex matre suscepta inque uxorem ducta jacentem reum incestus diceret? hoc posito, quod ignorantia antecedente laboraverit, quod in Gallia oppido *Alincourt* non multum a Parisiis distante evenisse scribitur ac epitaphium tribus istis personis hoc est, Filio, Matri, Filia Patri, Sorori, Fratri, uxori, marito erectum hodie conspicitur

*C' y gist le fils & la Mere  
La Fille & le Pere,  
La soeur & le Frere*

D

La



*La Femme & le Mary*

*Et, il n'y a que trois corps icy.*

Resp. ad 3.  
arg.

XXII. Nunc istud sumamus, quo supra arguebatur ideo cogitationi deesse bonitatem, quia deficiat commodum, quippe quod ex illa in alium aut rempublicam nunquam redundet. Sane certo certius liquet multum differre bonitatem actionis ab ejusdem commodo in alios proveniente, hoc enim istius (ut vocant) accidentale consequens est, quo negato illa non statim neganda est. Quamvis enim consequens nequeat esse absque antecedente seu principio, optime tamen & citra repugnantiam hoc absque illo reipsa existere potest.

Resp. ad 4.  
arg.

Conf. *Vatzevetz. disp. 76. c. 1. p. 511.* Ad quartum quod attinet, potest iisdem, quibus proxime præcedens destruximus, si modo pauca mutantur, facillime refelli; quare eorundem repetitione hoc loco superfedemus. Id unice adjicimus, quod *Cicero in Orat. pro Milone* dixit; *Nisi quia res perfecta non est, ideo puniendi non erit, quasi exitus rerum non hominum consilia legibus vindicentur? Minus dolendum fuit re non perfecta, sed tamen puniendum certe nihilominus.* Accedit, quod eo ipso utique pericula ac incommoda remp. maneat, dum cives pravæ cogitationibus litantes Viri esse boni desinunt. Quod quinto loco

Resp. ad 5.  
arg.

urgebatur Cogitationis præmium aut pœnam neminem reportare, (id vero communissimum est, quod urgeri solet) hoc se non urget. Nam aut de mere internis cogitationibus sermo est, aut de iis, quæ exterius, non tamen ad ultimum opus processerunt. Si prius, iterum aut de interno seu conscientia foro, aut de externo eoque vel divino vel humano agitur. Si illud, utique crimina, quæ nondum ex cordis latebris prodire, animi angor excipit, qui exprobrat ea, conscientia stimulos addit, terrorem incutit, pavorem acuit, ut autor malarum cogitationum cumulum quasi pœnarum sentiat, ceu verissime canit *Juvenalis Satyra 13. v. 208.*

An in foro  
interno  
cogitationum  
mere  
internarum  
præmia  
vel pœna  
deatur?

*Has patitur pœnas peccandi sola voluntas:*

*Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,*

*Facti crimen habet.*

Et postea v. 223.

*Hi sunt, qui trepidant & ad omnia fulgura pallent,*

*Cum*



cum tonat, exanimis primo quoque murmure cæli,  
non quasi fortuito, nec ventorum rabie, sed  
iratus cadat in terras & vindicet ignis.

*Illam nihil nocuit: cura graviore timetur  
proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.*

Contra pias ac honestas cogitationes sequitur amplissimum  
præmium, grata animi quies ac jucunditas, quæ omnia vere  
bona in se continet, & per se sola sufficit ad bene beateque vi-  
vendum. Unde *Horatius*:

*Hic murus abeneus esto*

*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa:*

& *Paulus Apostolus* 2. Cor. 1. v. 12. Καύχησις ἡμῶν αὐτῆ Ἰσὶ τῷ μαγ-  
τῆριον τῷ συνειδήσεως. *Gloriatio nostra hæc est, testimonium conscien-  
tiæ nostræ.* Consulantur uberius *Covarr. l. c. p. 577. seqq. Dn. Rachel.*  
*de Princ. Action. Moral. Disp. 3. th. 14. Albert. Bolognet. de Leg. Jur.*  
*& Æquit. c. 3. n. 14. p. 38. it. n. 34. 35. p. 53. 54.* Si hoc, de foro di-  
vino nullum dubium est, quin malas cogitationes etiam  
mere internas dignas pœnis judicet, cum DEO nihil tam invi-  
sum, quam mens incesta & animus impurus, ut *Lactantius* ait, ad-  
eoque econtrario nihil DEO tam gratum, quam mens sancta  
& animus purus. Utique profecto DEUS justissimus omnis  
omnino mali vindex nullam malam cogitationem culpæ  
(a qua reatus h. e. meritum pœnæ per nullam potentiam se-  
parari potest) expertem salva sua justitia agnoscere potest, i-  
mo omnis impœnitentis peccatoris quavis cogitationes ma-  
las pœna manet.

An in foro  
divino?

XXIII. Ad forum civile si te vertas, non mirari subeas,  
cur mere internarum cogitationum pœnis civilibus aut præ-  
miis locus non sit. Natura civilium judiciorum rite ponde-  
rata omnem tibi scrupulum adimit. Potestas quippe huma-  
na punitiva plerumque ordinatur ad exteriorem pacem & sa-  
lutem communitatis, ad quam nihil attinent actus, qui in me-  
ra mente manent, cum ex communitati iisque, qui regendo  
eidem præfunt, nec utiles nec noxiæ esse possint, modo mere  
internæ maneat. Notanter dicimus: mere internæ, quia  
necessum est, ut in sola mente sistantur: secus si res sese ha-  
beat, eo ipso ad exteriorem dispositionem rerum humana-

An in foro  
humano  
cogitatio-  
num mere  
internarū  
præmia vel  
pœnæ locū  
habeant?





rum incipiunt pertingere. Quis enim admittet, eo ipso aliquem mereri veniam, quod deliberationis causa aliis ejusdem farinae fateatur propositum, aut minando alicubi eloquatur, quid damni huic vel isti paret? Non quidem refragabimur, in delictis vilioribus, nec adeo diris, atrocioribus vel exitialibus voluntatem sceleratam confessione, pœnitentiâ impunem reddi posse, ut si quis sponte pœnitentiâ motus vel sacerdoti, vel Magistratui, vel illi, adversus quem injuriam fuerat molitus, indicet veniamque tristis precetur. At in gravioribus criminibus, quæ plurima post se trahunt pericula, nec leve spirant exitium, locum habere statuimus quod Cicero *L. 1. offic.* dicit: *Haud scio, an satis sit eum injuriæ suæ pœnitere.* Nam qui detestandum facinus, crimen læsæ Majestatis efficaci intendit animo, ab ejus supplicio minime liberabitur per hoc, quod agat pœnitentiâ, seque Sacerdoti explicet, aut etiam omnimodam in foro Ecclesiæ adeptus sit absolutionem, cum illud secum deliberare idem sit ac consummare, & ejus cupiditas perfectum scelus censeatur, ut aperte testatur *Ludov. Molina de Just. & Jur. Tom. 4. tr. 3. d. 24. p. 607.* absolutus præterea in foro conscientiæ juste accusari possit & judicari in exteriori, quippe cujus actus non impediuntur ab illo quo de vid. *Andr. Tiraquell. Reg. in Cur. Paris. Senat. de Pœn. caus. 25. §. 4.* Unde injustum tam facile non proclamamus quod in Gallia aliquando obtigit. Ibi enim *Nobilis quidam Normannus*, ut *Bodinus de Rep. L. 6. c. 6. p. 113.* notat, *fraterculo sodali confessus est, se Franciscum Regem occidere voluisse, nihil tamen ausum esse, & flagitiosæ voluntatis sponte pœnitere: sodalis ei confitenti ac scelus deprecanti, quantum quidem poterat, ignovit: eundem tamen paulo post ad Regem detulit, qui reum comprehensum ad curiam Parisiorum mitti jussit: Curia capitali supplicio quasi perduellionis convictum damnavit.* Simile exemplum refert *Thuanus lib. 8. p. 616.* Absit autem quicquam hic in Clerici gratiam dicere, qui delictum fidei suæ in confessione commissum frivole, ac penitus officii oblitus propalavit. Consideramus namque hoc factum quatenus per confessionem ab ipso delinquente manifestatum, non vero pro ut a Confessionario ad Regias aures imprudenter fuit delatum.



latum. Nec quoque fusque deque habemus, quod *Bodinus* narrationi historiae apposuit, nimirum quod Rex, ut ipse opinatur, prudentius ignovisset, quod cogitationis illius ac Voluntatis, quam propter scelerum atrocitatem leges coercent, hominem poenituisset, ac sui ipsius proditor & accusator prius extitisset, quam accusaretur. Vid *Covarruvias Tom. 2. L. 2. variar. resolut. c. 10. de accusat. iterand. p. 154. Tiraquellus loc. cit. & caus. 30. §. 1. 2. p. 117. & seqq.*

XXIV. Si posterius, h. e. si cogitationes in oppositio-  
ne ad mere internas spectes, tantum abest ut in foro consci-  
entiae divinoque eae nullam reportent poenam, quae legibus  
adversantur, ut in foro humano poenas non effugiant, ceu  
§. XIX. indicavimus ad Judaeorum, Graecorum, Romanorum  
forum provocantes. Imo licet morem contrarium Germa-  
nicarum gentes ab antiquo lenes in poenis, quae vim coercent, in-  
troduxerint, non tamen omnis cogitatio exterior poenam  
deprecat. Sane si accuratorem philosophiam sectari veli-  
mus, omnis lex poenalis eo ipso, quando actum externum  
praecipit aut prohibet, simul praecipit aut prohibet, actum in-  
ternum: illum directe, hunc indirecte & per quandam (ut  
scholae loquuntur) moralem concomitantiam aut consecu-  
tionem: nam quemcunque actum externum lex poenalis  
praecipit aut prohibet, eum praecipit aut prohibet ut humanum  
aut liberum; jam vero nullus actus externus potest esse hu-  
manus & liber sine interiori, imo implicat legem praecipere  
homini ut faciat, nec tamen praecipere ut facere velit aut de  
faciendo cogitet. Id volunt *Moralistae*, quando statuunt actum  
exteriorem esse lege civili praecipitum & interiorem comprae-  
ceptum, ut ex *Sylvestro verb. hora, quaest. 11. notat Franciscus Suarez*  
*eruditissimo tractatu de legibus L. 3. c. 13. p. m. 144. Videantur hanc*  
*in rem Cajetanus 2. 2. quaest. II. art. 3. p. m. 33. Suarez per integram*  
*quaestionem erudite tractatam, Alphonsus a Castro L. 2. de Potestat.*  
*Leg. Poenal. c. 15. p. 604. 606. 608. 609.* Si quidem plura pagina  
non capit. Qua interim poena, an ordinaria, h. e. quae ultimo  
operi debetur, an extraordinaria cogitationes animadverti  
juste possint? ad hoc *Dd. Morales* inter alia opus esse judicant  
ut probe expendatur, num tales cogitationes saltim actus  
externos ab ultimo remotiores vel eidem propiores aut proxi-  
mos



mos attigerint? An contra agentis voluntatem, num ex agen-  
 tis voluntate ultimus actus vel ultimo propior secutus fuerit?  
 An omnimoda damnum ex tali conatu patientis voluntate  
 quid factum fuerit, an aliqua, an nulla? Horum idque genus a-  
 liorū inqvisitio, quæ sæpe magnam diligentiam, uti pœnæ co-  
 gitationibus debitæ æstimatio multū prudentiæ & æquitatis  
 desiderat, difficultati mederi poterit. De cætero id verissimum  
 manet, quod cogitationes, quatenus in externos actus non  
 tamen ultimos influunt, non saltim actuum externorum sed  
 sui meriti reatusque proprie sui accipiant qualitatē. *Paulus*  
*sentent. V. 4. Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimo-*  
*niorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter*  
*voluntatē tamē pernitiosæ libidinis puniuntur Et 23. Qui hominē occi-*  
*derit, aliquando absolvitur, & qui non occidit, ut homicida damnatur.*  
*Consilium uniuscujusque non factum puniendum est. Ideoque qui cum*  
*voluit occidere, id casu aliquo perpetrare non potuerit, ut homici-*  
*da puniatur. Similiter Servius Honoratus in hunc vers. Virgil. Æneid.*  
*L. 6. Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti scribit solennē Romano-*  
*rum fuisse morem, ut non tam effectus, sed etiam consilium puniretur. H.*  
*Grotius in flor. spars. ad L. Jul. Majest. Eadē enim severitate voluntatē*  
*sceleris, qua effectum puniri jura voluerunt, dicit: Bene hoc dictum*  
*ex Veteri Romano Jure, quo in maleficiis etiam cogitata mala non*  
*perfecta. adhuc vindicabantur cruenta mente, pura manu. Hoc cau-*  
*sam dedit Draconi, ut Plutarcho in Solone teste, eos, qui olus aut*  
*poma furati, non alio, quam quo Sacrilegas supplicio affecerit; &*  
*Platoni item M. Chamo, ut indiscretim sive magnos sive par-*  
*vos fures puniverint, quod justum ac æquum visum est*  
*Hieronymo, qui in Ep. ad Tit. c. 2. scribit: Fur non solum in ma-*  
*ioribus, sed etiam in minoribus judicatur. Non enim id quod furto*  
*ablatum, sed mens furandi attenditur. Quintilianus declam. 372.*  
*Lex mentem punit. Seneca V. de beneficiis 14. Exercetur & operi-*  
*tur opere nequitia non incipit: Sacrilegi dant pœnas, quamvis ne-*  
*mo usque ad Deos manus porrigat. Cicero dixit pro Milone: Non*  
*exitus rerum, sed consilia legibus puniuntur. Periandri dictum*  
*erat: μή μόνον τῆς ἀμαρτάνοντας, ἀλλὰ καὶ τῆς μᾶλλον τῆς*  
*κίλαζε.*

XXV. Qvi-



XXV. Quibus vero pœnis exteriores cogitationes coerceri debeant, rem nostri iudicii esse negamus, cum jus naturale pœnas non determinet, quamvis æqualitatem inter delicta & pœnas servare præcipiat. Imo nec quicquam ad ea reponere lubet, quæ sexti argumenti loco ex *Jctis* adferebantur. Resp. ad 6.  
arg.  
*Philosophi Morales*, qui negant solam cogitationem furti faciendi esse furtum, non idcirco negant statim talis cogitationis moralitatem. *Covarruvias eod. loc.* expresse scribit: Si actus interior in exteriorem conatum erumpat, is optime legi humanæ subicitur. Cui convenit, quod *Vir quidam illustris* solitus est dicere: Unsere Gedanken sind die freyeste Reden / sie sind Zollen frey und keinen Auflagen unterworfen / so lange sie in ihren Gränzen verbleiben; so bald sie aber über die Schranken heraus kommen / müssen sie anderer Herrschafft Geboth erwarten. Locum ex *Grotio* citatū nostræ sententiæ nihil præjudicare videt, qui ea videt, quæ sequuntur. *Catoni a Tirone Tullio*, ceu loco citato refert *Gellius*, licet hic dissentiat, satis est responsum sequentibus: *Injurias imminentes præcavisse justum est magis, quam expectavisse. Summa enim professio stultitiæ est non ire obviam sceleribus cognitis, sed manere opperiri que, ut quum admissa & perpetrata fuerint tum denique, ubi quæ facta sunt, infecta fieri non possunt, puniantur.* Quid alias ad leges contra nostram sententiam allegatas *Jcti* respondeant, ex *Magn. Dn. Struvii*, *Syntagm. Jurisprudentiæ Exercit. 48. L. 47. §. 4. 5. & 6.* discimus. *Cogitationis nuda ut in Basilic. lib. XL. tit. si. l. 18.* additur verb. *ψιλῆς ἐννόιος* pœnam in foro civili seu exteriori nemo patitur &c. Conferantur sequentia, maxime §. 6. quæ docentur. Imo si ea, quæ nervosè ac satis perspicue a *Summo Viro* dicta sunt, pro ingenii nostri tenuitate expendamus, non possumus aliter. quin toto animo insignem inter solidam *Jurisprudentiam* ac *Philosophiam Moralem* consensum circa materiam nostræ dissertatiunculæ veneremur ac admiremur, quem etiam alia *Jctorum Lumina*, *Dionys. Gothofredus*, *Cujacius*, *Rittershusius*, *Carpzovius*, suis suffragiis adaugent. Tantum in præsentī. Moniti semper meliora sequemur.

COROL-



## COROLLARIA.

I.


- D**ictum erat inter Paridem & Menelaum, ut victori Helena cederet, ut legere est apud Homerum, in congressu autem evenit, ut Paris Menelaum fugaret, quaritur: Cui Helena cesserit? Si ad regulas recte interpretationis, quas Logica suggerit, respicere velimus, dicendum neutri cecidisse.
- II. Locri polliciti fuerant se pactis staturos quamdiu terram hanc insisterent & capita humeris gestarent, mox terram calceamentis injectam & aliorum capita humeris imposita abjecerunt, quaritur, an eo modo religione se potuerint exsolvere? Stultum certe perfidia effugium quaesiverunt.
- III. Quaritur an obligatio oriatur ex promisso, quando is qui lectus erat promissi internuncius, dum in via est ad promissarium, ut vocant, h. e. eum, cui promissio facta est, ad plures abit?
- IV. Dantur casus, in quibus jus natura Titio praecipit, ut rem suam det Sempronio, Sempronio vero praecipit, ne accipiat a Titio.
- V. Dantur quoque casus, in quibus jus natura Sempronio praecipit, ut rem a Titio accipiat, Sempronio vero praecipit, ne eam det.
- VI. Si de eo constaret, plusne partus de Patre, an de matre habeat, quo de inter Physicos disputatur, quaritur an in tali casu, quando uterque quid suum sit, quid alienum, discernere posset, naturaliter partus cum sequeretur, de quo plus ipse haberet?
- VII. Cajus Plautia promisit futuras nuptias, si Salam flubium uno haustu ebiberet, quaritur an ex ea promissione naturalis oriatur obligatio? N.
- VIII. Qu. An fur materia coactionis satisfaciat, dum supendii damnatus scalam sponte ascendit? A.
- IX. Qu. An natura jure fidejussio pro alterius poena capitali sit licita?
- X. Qu. An Sempronius a latrone fugatus hominem claudum via interpositum salvo jure natura in praecipitia dare possit, si certo sciat, nisi id faciat, latronis cruentis manibus sibi pereundum esse?

**D**um praesens edis specimen, flos optime Pindi,  
 Ingenii pandis dona venusta tui,  
 Nempe pie Patriae promittis commoda multa,  
 dum Te das studiis, dum pietate cales.  
 Quo pede coepisti, pergas, stant praemia factis,  
 Te Patriae dulcis publicus ambit amor.  
 Illa fuit semper virtutis & artis alumna,  
 Illa meis Musis extitit alma Dea.  
 Nunquam DI PATRII, committam tot benefacta  
 Aëliis ventis, dum regit ossa calor.  
 HALLA tuas laudes nunquam mea lingua filebit,  
 dum lustrabit humum Sol radiante face.

Eximio Dno Autori Respondenti, Civis meo, Inquilino ac Auditori  
 ob indefessam Studiorum communicationem estimatissimo,  
 Pietatis, Diligentiae invidendae, Sobrietatis aliarumque virtu-  
 tum laudes infucato gratulor pectore, Patronosque precor

P R A E S E S.











753282



ULB Halle 3  
003 869 857



Sb.






FÄITSC  
De Trans  
bibliop  
Mesa







4i.

*BENE VORTAT!*  
**MORALITATEM**  
**MERÆ COGITATIONIS,**

*PRÆSIDE*  
**VALENTINO Westhem /**  
Moralium Prof. Publ. Ordin. & Facul-  
tatis suæ h. t. Decano,

*publico eruditorum examini sistit*

**JACOBUS Ritter / HALLENSIS SAXO,**  
A U T O R.

*Ad diem Mercurii.*  
A. O. R. clō Ioc LXXV.

---

*J E N Æ,*  
LITERIS SAMUELIS KREBSII.

*John Magnificenz Sn. Dresden D.*

